





*Fus Sax. Nr. 207.*

~~*J. Sav. Priv. 2179<sup>a</sup>*~~



AD  
 DECIS. SAXON. EL. XXIV.  
 DE ANNO 1746.  
 DISSERTATIO

---

QVAM  
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
 CONSENSV  
 PRAESIDE

D. HENR. GODOFREDO BAVERO  
 SERENISS. ELECT. SAXON. A CONSILL.  
 PROVOCATT. RELL.

D. XXII. OCTOBR. A. C. MDCCLXXVIII.  
 IN AVDITORIO ICTORVM  
 TVEBITVR

AVGVSTVS GVILIELM. IVMPELT  
 PIRNA. MISN.

---

LIPSIAE  
 EX OFFICINA LANGENHEMIA



AD  
DECIS. SINGUL. EL. XXIV

DE ANNO 1748  
DISEPTIMO

---

ILLESTRATIONUM  
CONSERVA  
HABITUS  
D. HENR. GODOLPHO BAVARO

SECRETIS AUSTRIACAE  
REGIAE ACADEMIAE  
D. JOH. SEBAST. MURARIUS  
IN AUSTRIAE ACADEMIA

AVGVSTVS GYRVS M. J. V. P. E. L. T.

---

IN AUSTRIAE ACADEMIA



L. N. D.

§. I.

**Q**uod multis in rebus in iurisprudencia nostra contingit, vt distinctionibus, limitationibus, et exceptionibus, quas partim leges ipsae admittunt, partim vsus adiecit, constitutiones saluberrimae maximam partem soluantur, animusque in diuersa trahatur, et saepius anceps haereat, etiam pertinet ad mulierum pro aliis intercessionem. Equidem, hac mihi scribendi opportunitate oblata, vnam tantum atque alteram iure Saxonico Electorali in re praesente obuersantem dubitationem recensere et soluere poterō.

§. II.

Const. XVI. Part. II. vxoris pro marito intercessionem renunciationesque, iurisiurandi religione haud suffultas, neque cum versione in rem mulieris coniunctas, facit nullas. Obligari tamen vxoris bona, excepta dote, propter nuptias donatione, ac dotalitio, aliasque mulieres intercedentes, modo, consentiente curatore, coram iudice, Senatusconsulti beneficio renunciauerint. Antiquior Decisio vigesima quinta iudicem iubet, vxorem admonere, antequam iurare sinat, eique Senatusconsulti, ac caeterorum iurium vim et rationem exponere, adstruitque necessitatem actus corporalis, quo iusiurandum exprimitur. Nouissima denique Decisio XXIVta primo vtramque legem iterum confirmat; Dein declarat, beneficiorum expositionem non esse, si recensentur nomina Senatus-



## IV

confulti et Authenticae, sed, si mens eorum explanetur, hoc, non illud, vetat negligere; Denique vt coram iudice foeminae ordinario, vel rei sitae, fiant eiusmodi intercessionēs constituit.

## §. III.

Ex collatione igitur harum legum intelligimus omnes, errorem esse, quem multi errant, vt iuratam renunciationem, quotiescunq̄ue fit pro marito intercessio, necessariam ducant. Vt sic potius distinguere debeamus: Obligari omnes foeminas ciuilit̄er ex obligatione pro alio suscepta, modo in iudicio competente, praesente et consentiente curatore, iuris beneficio rite renunciauerint, vt solum, ad vxorem pro marito intercedentem quod attinet, dotem, propter nuptias donata, ac dotalitium obligatione eximas, nisi accesserit iuris iurandi religio. Receptitiorum quidem bonorum per se patet, aequalem cum reliquis fauorem esse non posse, dum libero subsunt mulieris arbitrio. Adeoque in his quia nullo iure maritus gaudet, eiusdem facile cum extraneo conditionis censetur. Est enim natura hominis sic comparata, vt suscipiat praesentis commodi periculum aegrius, quam futuri. Ob eamque rem non adeo facilis existimanda est foemina, quae propria bona possidet, ad intercessionem pro marito, quam, quae se suaque omnia ei iam tradidit. Quemadmodum mulieri donanti, pro alio soluenti, suum debitorem alieno creditori deleganti, acceptaque pignora reddenti Senatusconsultum Velleianum omnino non patrocinator, *l. 4. §. 1. l. 21. §. 1. l. 5. l. 8. pr. §. 3. et 5. l. 19. §. fin. D. ad SCt. Vellei. l. 1. 2. 4. 6. C. cod. l. 16. C. d. Donat. ant. nupt.* Quippe difficiliores etiam sumus in sustinenda praesente ac certa rerum nostrarum amissione, quam suscipiendo damno futuro ac incerto.

## §. IV.



## §. IV.

Paraphernalium vero bonorum mutatum scimus esse moribus naturam, ut, quum iure Romano in libero vxoris dominio fuerint, ne administratione quidem, praeter quam ipsa consenserit, marito concessa, uti *l. 8. et fin. C. d. Pat. conu.* docemur, eorum hodie sola proprietates mulieri, ususfructus contra cum libero administrandi arbitrio masculino, ex vniuersali, ut MENCKEN. *ad Pand. L. XXIII. Tit. III. §. 18.* testatur, consuetudine, tribuatur. Quae quum sint iure Saxónico indubia, poterant sane paraphernalia bona, re ipsa a dotalibus parum distincta, eodem facile fauore, et, ob eandem facilitatis ad intercedendum praesumptionem, eadem admonitionis grauitate digna videri. Vim tamen inferret *Constit. XVI. P. II. ac Decis. XXV.* qui, facta a muliere fideiussione, vel expromissione, vel pignoris remissione, promarito, coram iudice competente, cum consensu curatoris, quam secuta fuerit renunciatio solennis, ob defectum iuratae confirmationis, parapherna non obligari affirmaret. Quod agnoscit CARPZ. *d. Const. Def. 10.* caeterique melioris notae interpretes. Nec inuenio quicquam hac in re *Nouiss. Decis. XXIV.* immutatum. Quae, etsi solutas inter et maritatas mulieres distinguit, iuramenti tamen praestationis plane non meminit.

## §. V.

Quisque enim facile perspicit, hunc fuisse Legislatoris in condenda nostra lege animum, ut iudicem designet, qui praesit eiusmodi intercessionibus ac renunciationibus, utque hunc instruat, qua ratione versari in edocenda admonendaque muliere debeat. Ad normam admonitionis quae pertinent verba legis, quum per se clara sint, non video, quid



eorum illustrationi possit inferuire. Vnum tamen exemplum adiiciam, quod, memini, Collegio nostro obuuisse. Nimirum in formula iurisiurandi generaliter mentio fiebat beneficiorum iuris, mulieri pro viro intercedenti opitulantium, ipsiusque renunciationis, adiectis verbis religiosis, et mox subsequenter instrumenti verbis profitebatur iudex iurandum, praeuia eius expositione, praestitum. Oborta dubitatione, expositionem hancce ad naturam iurisiurandi in se considerati restringi, an ad mulieris priuilegia in iurisiurandi formula nominata extendi debeat, hoc verius videbatur, quum graue esset, de iudice omissionem formae legitimae cogitare.

## §. VI.

Iudicem Lator foeminae ordinarium vel rei sitae requirit. Quod non mireris, dum *nec alii desunt voluntariae iurisdictionis actus*, nostro imprimis Saxonico iure, in quibus non solum notarii desinit facultas, sed, qui vel ad certum iudicium adstringuntur. Sufficiat nominasse, quae ob causae cognationem huc imprimis pertinet, hypothecae constitutionem, siquidem in multis res non omnino expedita est. Rationem, ex *Decis. XXXVIII. princ.* cognoscimus, in promovenda potius publica fide, quam in cognitionis necessitate, niti, quam solent nominare interpretes. V. BERGER. *Oecon. Iur. Lib. IV. Tit. III. §. 1.* Scilicet, vt notitiam acquirere creditor possit, annon alieno debito mulier iam intercesserit. Sic autem hanc partem nostrae legis capio; Adeundum esse iudicem mulieris ordinarium, vt ipsa efficaciter obligetur, rei sitae contra, si agatur vel de re mulieris creditori oppignoranda, vel de remittendo pignore mulieri obligato, vt tamen in his etiam exemplis iudicem ordinarium sequi contrahentibus liceat. Ex quo colligo, si pignori coram iudice rei sitae  
vel



vel constituto vel remisso sui ipsius obligationem mulier adiecerit, vtile ab inutili separandum esse, vt pignus valide solutum contractumue, mulier haud obligata censetur. Quippe natura fori rei sitae specialis hanc sententiam sustinet. Vt certe ad contrahendam obligationem personalem sit consultus, ope iudicis ordinarii vti.

## §. VII.

Caeterum ad iudicem contrahentes, non ad iudicium, lex remittit. CARPZOV. ad *Constit. XVI. P. II. Def. 18.* ob verba in hac *Const.* obuia, *in iudicio ergiengen, und fürgenommen würden*, irritas mulierum intercessiones ac renunciations autumat, non in ipso iudicii loco solenni factas, admissa, ob vsus constantiam et argumentum in *Const. III. P. III.* collocatum, exceptione, si mulier impedita coram scabinis ex iudicio ad se rogatis negotium peragat. Mihi, fateor, haec sententia iuris communis rationi consentanea non videtur. Quippe decantatum est, vbi iudex, ibi iudicium, ac praesertim voluntariae iurisdictionis actus regulariter vbiuis valide exerceri. Quod confirmat *Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. II. §. 4. verb. alle gerichtliche Handlungen, so viel die actus contentiosae iurisdictionis betrifft, nirgends anders, als an denen Orthen etc.* Vt tamen, si extra ordinarium iudicii locum fiant eiusmodi intercessiones, arg. *Const. III. P. III. ac Decif. LXXIII.* praeter iudicem, vnum iudicii assessorem adesse necessarium ducam, caeterum vero nihil interesse existimem, in domo mulieris, an alibi, in, an extra casum necessitatis negotium peragatur. Praesertim, quod lex nostra iudicem designat, nihilque de iudicii loco addit, adeoque tacite regulam ex *Ord. Proc.* modo propositam confirmat.

## §. VIII.



Quae praeterea in hoc loco disputari possunt, sunt autem plurima, quia proxime ad legem nostram non pertinent, ob loci angustiam praetereo. Sic, verbi causa, WESTENBERGIO *ad Pandectt. Lib. XVI. Tit. I. §. 15.* aliisque, existimantibus, SCtum Velleianum mulierum intercessionem non efficere ipso iure nullas, nec actiones inde descendentes impedire, ob verba Senatusconsulti *l. 2. §. 1. D. ad SCt. Velleian.* ac *l. 23. §. fin. C. eod.* non accedo, nihilque ad nos pertinere ob leges patrias duco exceptionem, quae in hac lege *Cod.* continetur. Vehementerque dubito, et negare potius ausim, *arg. l. 5. C. d. LL.* exemplo donationis inter coniuges, vxoris renunciationem ob defectum iurisiurandi inualidam morte confirmatam sustineri, quod CARPZ. *ad cit. Const. XVI. def. 9.* affirmat. Mitto alia. Hoc vnum tamen addam ex *Promptuar. Ber-tochian.* ab ILL. HOMMELIO aucto, voc. *Mulier. intercess. num. 29.* in Lusatia superiore promissionem in vim iurisiurandi ab vxore iudici factam, se priuilegio suo vri nolle, esse instar actualis iurisiurandi praestationis.

T A N T V M





Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!


SLUB DRESDEN



3 1326580

III/9/280 JG 162/6/86

*H. Sax K 117 m*



